28.



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS; manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Martis vigeſimo-primo Martii M. DCC. XLI.

M. PHILIPPO CARON, Antiquo Facultatis Decano, Doctore Medico, Præſide.

An Senibus, Vinum: Aquâ largiori *diluendum?*

I.



ECCUI Mortalium, vitæ ordo tam cucurrit proſperè, ut incommodis aliquando non fuerit interruptus? Quot reipſâ incurrunt temporum veluti laciniæ, quæ fortunatiſſimum quemvis, variis aut periculis, aut affectibus objiciunt? Corpori, dum juncta eſt anima, dimicandum perpetuò cum innumeris, quæ ipſum undique circumſtant, malis. Sic plures ante diem demetit LIBITINA. Qui purè ac medicè degunt ætatem, his & longa, & lenis admodùm vita, morbis quandoque licet intercisa. Brevis eſt illis, qui ſuo faventes genio, conſuetudini ac palato nimiùm obtemperant. Brevior nonnullis, qui Diætæ leges ac præcepta repudiare gloriantur. Multis aliquantulùm breviſſima, vel hæreditario jure, vel propter malè morata viſcera, quibus reficiendis incaſsùm allaborant. Naturæ vitia emendari, ut operoſum; ſic Juventute novâ floreſcere Senes, impoſſibile. Num ideò fato ſuo relinquendi Senes? Abſit: inhumanum prorsùs! At cibo recreandi & potu præcipuè, cujus, ut longè major eſt quàm alimenti ſolidi neceſſitas, ſic virtus multò ſuperior. Felix! Cui tot inter potuum genera, quæ vel Natura ſuppeditat, vel ars adinvenit, eo contigit uti, à quo ſedetur ſitis, roboretur ventriculus, juvetur coctio, diſtributio promoveatur, non diſtendantur *hypochondria*, mens non perturbetur, uno verbo, totius hominis œconomia conſervetur.

I I.

ARTIS Medicæ finis, duplex: sanitatis, vel præsentis tutela, vel absentis restitutio. Utrique, invigilat potissimùm *Hygieine*. Hæc, Medicinæ partium facilè princeps, Diœta vulgò nuncupatur. Victûs legem, ægris pariter ac sanis, præscribit; rationemque docet & modum, illis aptè utendi rebus, quas *Nonnaturales* dicunt. Quanta igitur in Medico requiritur doctrina? Quænam sagacitas? Qualis prudentia, ut cuique hominum, benè vel malè valenti, mari aut fœminæ, Seni aut Puero, idoneam & convenientem ævi traducendi normam præfinire possit atque decernere? Quàm vario fidium genere instructum decet arcum in manu sapientis? Quid enim semper viret? Annon ætati succedit ætas? Ætatis parti cuilibet, numquid inclinatio sua? Numquid sua tempestivitas? Hinc mutationes ac vicissitudines innumeræ, quarum fit particeps homo, qui *Puer*, hinc *Juvenis*, tum *Vir*, & inde *Senex*. Quàm paucis tamen, ad multos annos, NESTORIS poculum ferre manu, conceditur! Pueritiæ, Juventuti, quin & Virilitati, certos, at varios, etsi limites olim assignavêre tam Philosophi, quàm Medici; nullum intereà Senectuti terminum adscripserunt. Hanc, optatam semel, atque adeptam, non accuses: Colas imò, & quàm diutissimè producas. Graves idcircò tollantur curæ: Fata sinunt, dum securi vivimus. Nihil prorsùs ultra modum, nihil ultra necessitatem, primoribus etiam labiis attingatur. Potûs præsertim & potantis natura, invicem conferenda. Ponderandum sedulò, quid alterum valeat, alterum quid exigat; adeò ut ingerenda potio, sit suavis, & ad coquendum expedita.

I I I.

SITIS, ut fame vehementior; sic ad patiendum tolerandumve difficilior. Hinc edendi, quàm potandi necessitudo, salubritas, voluptasve minor. Cujusque animantium compescendæ siti, communis mater & provida nutrix Natura simplicem paraverat Aquam. Orbi universo coævum & cognitum hoc elementi genus, super quod, in primâ rerum *Genesi* ac divisione, SPIRITUS DOMINI ferebatur. *Substantia* est fluida, tenuis, lævis, diaphana, nunc sapida, nunc insipida. Ejus moleculæ sunt valdè flexibiles, *ductiles*, mobiles, & diversæ figuræ, ut multijuges terræ poros subeant faciliùs atque præterfluant. Aqua, si potetur oportunè, præter-quàm quòd comprimit sitim, nutrit etiam; fibras emollit & laxat; crassa incidit; reserat obstructa; dissolvit salia, horumve actionem mox juvat, mox obtundit; humidum alit primigenium, caloremque nativum temperat. Extinguendæ siti, omnem indiscriminatim Aquam non offeras, nisi proximus ardeat EUCALEGON. Procul hinc lutosa, putealis, lacustris, paludosa, pluvialis, nivea, glacialis, procellosa, & marina. Eligenda fluvialis maximè, aut fontana: quæ pura sit, pellucida, levissima, odoris & saporis expers (*a*), linguæ tamen ac palato non ingrata; quæ promptè incalescat, refrigeretur citò, liberè distribuatur. Simplicis Aquæ potu haud contenti Mortales, quot & quàm diversas potionum species ad nutum excogitaverunt? Infinita propemodùm & incredibilis earum varietas: delectationis forsan & utilitatis fœtus; at non æquè salutaris. Ex tot potionibus, quas protulit ars homini, nulla vulgata magis, quàm Vinum: nulla magis infida. Tunc alimentum, mox medicamentum, jam venenum. Tanta ejus usui adhibenda cautio! Vinum, succus licet è maturis uvis expressus (*b*), quàm tamen varium & multiplex? *Substantiâ*, colore, sapore, odore, natalibus, ætate, indole, præparandi modò, adjunctisque aliis inter se discrepant Vina. Dissimilia eorum nomina, ut & discrimina, hìc recensere longiùs foret. Vini magna vis est, quâ morbos profligat; major, quâ nutrit, & sanitatem sartam tectam tuetur; maxima, quâ lædit; & bonæ valetudini conservandæ, vel in-

(*a*) Hîc enim non agitur de Aquis *mineralibus*, vel de aliis, quæ Medicum in usum veniunt.

(*b*) Nec loquimur hîc de Vinis *Medicatis*, vel etiam de aliis liquoribus *ardentibus* vel *spiritnosis*, quæ tamen à Vino differunt.

ſtaurandæ nocet. Tot tamque diſpares eventus, modò ſtrenuè, modò imbecilliùs, nunc ocyùs, nunc tardiùs, quâ datâ occaſione, optimum quodcunque producit Vinum: felices, ſi vel moderatè, vel dilutum; infauſtos, ſi merum & immodicè propinetur. Tutò Vinis indulgeas, quæ in *Burgundiâ* naſcuntur, annis præſertim benè conſtitutis. His quippe, non torrentur viſcera, quemadmodùm *Hiſpanicis*; non divexantur articuli, velut *Campanis*; non fumis, ut aiunt, caput offunditur, ſicut *Aurelianis*, *Andegavenſibus*, *Britannis*; non flatibus aut excrementis oneratur corpus, ut illis, quæ in frigidiori *Briæ* tractu ſuccreſcunt; non pariuntur obſtructiones, ut aliis, quæ ex territorio *Burdigalenſi* huc advehuntur. Ad *Burgundi* Vini excellentiam dignitatemve quodammodò accederent, ut accedebant olim, *Andreſiaca*, *Argentolina*, *Surrentina*, quin & alia id genus Vina, in finibus agri *Pariſienſis* oriunda: ſi Vinitores, ignari, an avari minùs! Stercoratione & alienâ propagine, uberiori quidem ſed inſuaviori, non urgerent *quantitatem*, de qualitate parùm ſoliciti. Nec magni refert, an rubore læta ſint, an candore jucunda? Sat fuerit, ſi cum odore fragranti, exquiſito ſapore, *conſiſtentiâ* mediocri, & maturitate tempeſtivâ, nitore decoro ita reluceant, ut de roſis illa, hæc de liliis eſſe nata judicentur. Vinum, his dotibus inſtructum, & æquis epotum conditionibus, quot mirandos ac laudabiles effectus non præſtat in corpore? Famem & ſitim ſolvendo, nutrit; fibras erigit, cibos attenuat, auget robur, acuit ingenium, triſtitiam abigit; fluentium trituram excitat & circuitionem, quas excipit brevi ſecretionum, ac proinde functionum omnium integritas.

I V.

QUAM ſalubre, dum urget ſitis, Vino, aquâ *largiori* diluto, ſe proluere, noverint ſuo commodo Senes! Horum conditio, ſi temperiem ſpectes, nùm in alio poſita, quàm in peculiari fibrarum *erethiſmo?* Numquid à naturâ fixæ corporis ita diſponuntur partes, ut quæ molliores in Pueris, in Adultis & Viris firmiores ſunt earum fibræ, in Senibus rigeant paulatim & indurentur; uſquedùm nativus calor, humorque primigenius pereant ſenſim & evaneſcant. Si à motu pendeat calor: quis negaverit inſitam fibris texturam & agilitatem, quâ mediante fluentia corporis conteruntur indeſinenter ac propelluntur, per calorem, quem Veteres innatum dixerunt, poſſe intelligi? Quis requiſitam in iiſdem fibris ad *oſcillandum* mollitiem, à *lymphâ* matre primùm ortam, cum humido primigenio coire non fatebitur? Per vitam ergò ſi gradatim exſiccantur fibræ, quid mirum! Quòd in Senectute plùs minùſve conſtringantur vaſa, ſubſideant, decurtentur. Sic pedetentim naturalis quidam oritur partium *erethiſmus*. Sic modò ſeriùs, modò citiùs conſequitur in fixis, ad *reſiliendum* ſegnities; in fluentibus, ad progrediendum inertia; in utriſque, nutritionis imminutio; caloris ignavia, defectus; ac tandem interitus. Omnibus enim, nec æquè labitur ætas, nec par infirmitatum inuritur labes. Videas aliquot, fictos forſan meliori luto, vel etiam in victu ſapientiores, quorum Senecta, quieta & honorifica potiùs quàm ſolicita, corpore pariter & animo fortis, non repentè frangitur, at ipsâ vetuſtate defloreſcit. Vis igitur Senium proferre diù. Vis ſplendere, ut vocant, tempore alieno: potui delectum adhibeas & modum. Hunc ſelige, qui, nutriendo ſimul & emolliendo, *ſolidorum rigiditatem* partim, partim & *flexibilitatem*, ad *reſiliendum* neceſſarias tueatur, debitamque *fluidorum* tenuitatem, circuitionem, ac diſtributionem promoveat. Agedum: quid eſt cauſæ, cur hæreas? En tibi præſto ſit Vinum, cum Aquâ ſic temperandum, ut cum duabus Aquæ partibus, pars Vini, ad ſummum, una miſceatur. Ab hoc amabili connubio, tertium emergit potionis genus, quo, in rerum naturâ, nullum Senectuti producendæ convenientius. O dulce, honeſtumque fœdus! Quo demulcentur ſuaviter & unà excitantur ventriculi atque inteſtinorum villi; quo blandè comminuuntur ac diluuntur cibi; quo vires corporis & animi recreantur mirabiliter. A modico ſale & ſul-

phure, cum aquearum particularum copiâ multò majori, confusis, ex quibus constat mixta potio, quid non sperandum boni? Ab eâ numquid non mutuantur fibræ, undè flexibiles conserventur & *elasticæ?* Numquid non habent succi, undè tenues, mobiles, & volubiles teneantur? An non cuncta Senum viscera, hujus potionis beneficio leniter instaurata, servatis semper Naturæ periodis, motu & secretionis modo, disponunt ad circuitum vel secessum, quæcunque in illis subiguntur & amant excerni? Sic prælucet in eorum vultu, color quidam eximius, nitorque virens, & Senii veluti nescius. Sic ipsa mens alacris & læta, suum quasi vigorem transfundit in corpus, obeundis vitæ diuturnæ muniis comparatum.

V.

CORPORIS bona veram laudem non habent, inquit ORATOR*. An hæc porrò negligenda? Minimè gentium. Bonorum corporis omnium, quodnam integrâ valetudine præstantius? Nullum. Est tamen è cœlo, tanquàm è PALLADIS arce, Divinitùs immissa Medicina, quâ Mortalium sanitati consuleretur. Frontem itaque severam hîc deponat CATO. Salubriùs agendæ Senectutis artem quìd improbaret? Nonne cuilibet ætati suus debetur honos? Nonne curandum de singulis Medico? Vulgaris igitur eorum respuendus error, qui Merum Senibus, perindè atque Pueris lac, accommodatum esse putant. Longè aliter Diœtæ legibus statuitur. Merum nemini non remis velisque fugiendum. Quò potentiùs, hoc nocentius: placet colore, sapore, odore; at mordet ut Coluber, cujus venenum per totum corpus facilè diffunditur. Hinc Adolescentibus & Juvenibus merè toxicum: quo liberaliùs epoto, eorum medullæ, velut admotis facibus inflammatæ, in furias ignemque ruunt, jucundum quodcunque nefas Aetneo ardore gestientes. Senibus autem nunquàm, nisi parcâ manu, vel in solatium ætatis, vel in medicamentum exhibeatur. Semovenda quidem interdùm tristis sobrietas; extrahendus aliquando in exultationem animus. Quid jam vetat, ne Senum asperitas & curæ, Vino, cui LIBERI nomen, quandoque diluantur? Ejus tamen usui non assuescant. Merum, ut Juvenes accendit, sic depascitur Senes. His ergò in alimentum non veniat, nisi parcissimùm, & cum Aquâ *largiori* permixtum. Exulet à tali potu, infirmandi refrigerandique ventriculi metus. *Cruditatum*, quas *frigiditati* vulgò tribuunt, pars major, *oscillantis* festinantiùs & *spasmodicé* agitati visceris, ciboſque præpostère subigentis vitio potiùs, quàm hujus imbecillitati, adscribenda. Senectus, non tam *deliquium*, quàm *tabes*. Hâc rigent sæpiùs, quàm laxantur sanitatis fundamenta. Senes quamobrem, ubi corpore vicissim & animo diù præstare volunt, quò sunt ætate provectiores, tantò dilutius, in mensâ, Vinum propinant. Ex hâc *Vinoso - aquosissimâ* potione, sobrietati junctâ, quàm lætos & uberes fructus percipiunt? * Hos ne Senectus quidem, quæ solvit omnia, infringit. In ipso ætatis portu, vegetissimi apparent. Oculi puro micant lumine. Certa pedes imprimunt vestigia. Liquidus est & penetrabilis auditus. Dentes candidi & immoti. Vox sonora. Corpus erectum succique plenum. Cani, cum rubore discrepant. Vires, cum vetustate dissentiunt. Non memoriæ tenacitatem antiquior Senecta comminuit. Non calidi acumen ingenii frigidus obtundit sanguis. Non tremula manus errantem incerto tramite stylum vertit. Quid multa? Virilitatem mentientes, ad extremam usque Senectutem, firmâ admodum valetudine perfruuntur.

* M. T. Cicer. lib. 2°. de Orator. 142.

* M. Guid. Patin. Quæst. Cardin. 14. Martii. 1647,

Ergò Senibus, Vinum: Aquâ largiori *diluendum.*

Proponebat Parisiis JOANNES-STEPHANUS GUETTARD, Senonensis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1741, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1741.